

**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non  
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu  
peragi possint

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

Quid Benedictiones, & signa Crucis, quæ fiunt manibus.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](#)

Ob peccata quæ me infra abyssum nihilicitatis  
demergunt. 3. Ob tuam infinitam Majestatem.

*Quid positio manus super Altare librum, unius  
super patenam, & alterius super librum.*

Dum junctas manus in aere levatas tenet, &  
incurvatus super Altare eas ponit Sacer-  
dos in initio præfationis vel alias. Signum est,  
quod omnes alias curas velit seponere totus cæ-  
lestibus occupatus. Dum autem legendo Epi-  
stolam manum supra librum ponit. Cogitabo  
non sufficere verbum Dei legere, sed manus  
ad opus applicandas esse. Dum una manus re-  
quiescit supra librum, & altera supra patenam,  
supra quam immediate post Sacerdos positurus  
est hostiam. Cogitabo veri Sacerdotis unicam  
& occupationem & solatium esse debere ver-  
bum Dei, & divinissimum hoc Sacramentum.

*Quid Benedictiones, & signa Crucis,  
qua fiunt manibus.*

Benedictiones fiunt vel imponendo manus,  
vel formando manibus Crucem. Priori  
tantum modo fiebant in antiqua lege, quia de  
Cruce & Benedictione per eam in mundum  
venturâ nil nisi obscurè aliquid sciebatur. Uni-  
cum habemus exemplum in Jacobo nepotibus  
suis Josephi filiis Manasse & Ephraim benedi-  
centे manibus decussatis in modum Crucis,  
dextram imponendo capiti Ephraim stantis ad  
sinistram, & levam capiti Manasses stantis ad  
dextram Jacobi. *Allegoricè enim per manus*  
Jacob

## Pars tertia

94

Jacob ità decussatas intelligitur Crux Christi,  
& per Ephraim natuminorem populus gentilis,  
qui majori natu populo Iudaico per Manasen  
designato præpositus fuit in nova lege. Jam,  
Sacrum quod attinet sive Missam, in ea fiunt  
benedictiones impositione manuum super ob-  
lata in Canone ad hæc verba : *Hanc igitur ob-  
lationem in honorem & memoriam tui Domine  
imponentis manus ægris, energumenis, Apo-  
stolis.* Fiunt etiam benedictiones & crebrio-  
res quidem formando manibus Crucem, quia  
benedictio omnis yim & efficaciam habet à te  
JESU Christe crucifice. Cruce præterea signa-  
tur à Sacerdote Evangelium, quia id in Crucis  
virtute prædicatur. Signat se Cruce Sacerdos  
& populus, ne Dæmon bonum semen verbi di-  
vini de corde tollat. Signamus item nos Cruce *in  
fronte ore* ad ostendendum; quod non erube-  
scamus tuum Evangelium ore prædicare. *In  
pectore*, quod id conservare velimus in corde.  
Dat benedictionem populo Crucis formatione  
Sacerdos, memor id re fecisse Apostolis ac Di-  
scipulis tuis sub tuum in cælos è monte Oliveti  
ascensum. Et quia formationes Crucis super  
oblata vel ipsas sacras species fiunt vel semel, vel  
ter, vel quinquies. Venerabor in una Crucis  
formatione essentiæ divinæ unitatem, trinâ tres  
sanctissimas in divinitate personas. Quintu-  
plici tua mi JESU sanctissima quinque vulnera,  
per quæ omnem & in hac & altera vita bene-  
dictionem expecto.

NB. Quæ in binis his ultimis §. §. allata sunt,  
utique

utique non unâ vice , dum legis vel audis Sacrum , ruminanda sunt ; quia sic confundetur memoria , maximè cùm ante omnia attendendum sit ad ea , quæ Missæ tempore legenda , oranda , agenda habes . Sed serviant pro varietate , ut mox hâc mox alterâ praxi devotionem augere , & distractiones impedię possis . In quem finem sicut & ad maiorem rerum notitiam , quam decet hac in materia Sacerdotem & fideles saltem ad intelligenda sacra mysteria capaciores habere , servit quoque Appendix hîc annexa , in qua brevitati perspicuæ minime obſcuræ consulens scitu digniora & utiliora duntaxat perstringo .

§. stus.

*Appendix ex Gavanti commentario in rubricas  
Missalis divisas in octodecim numeros.*

1. Vox rubrica,

R Ubica à rubro colore dicta , quâ solebant antiqui librorum titulos , capita , indices , & præsertim titulos ac inscriptiones legum notare . Hinc juvenalis Satyra : *4ta perlege rubras Majorum leges.* Ideo ergo leges in ordine ad celebrandam Missam in Missali præscriptæ , & rubro colore in titulos & capita divisæ , rubricæ appellantur . Vox tamen ipsa in Missalibus ante Pium V. non invenitur .

2. De